



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 220. An filio, in domo paterna laboranti debeatur salarium; & possit illud occultè sibi compensare, si negetur, vel si pudeat petere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

possit, suo tempore compensandi fratribus, si autem pater & fratres rescant, nec petant satisfactio-  
nem, censentur condonare, *Burgh. Cent. 2. cas. 36.*

*Q. 220. An filio in domo paterna laboranti, 1034  
debeatur salaryum; & possit fibi illud occulte com-  
pensare, si negetur, vel si pudeat petere. R.*

§. I. Salaryum deberi putant (*Nav. Lop. Ang.*  
*Gomez*, *Less.* n. 81. *Dicast.* lib. 2. t. 2. d. 9. n. 187.  
*Eurgh. cas. 80. Petsch.* q. 6. art. 2. aliique apud *Lugo*  
d. 5. n. 42., idem dicunt *Escob.* & *Corr.* apud *Mo-*  
*yam.* t. 6. d. 4. q. 1., qui n. 6. vocat sententiam  
probabilissimam: *Dian.* p. 4. t. 4. R. 66. vocat tu-  
tam: Rationem dant, quia talis filius est veluti so-  
cius negotiationis, neque debet esse deterioris con-  
ditionis, quam famulus vel extraneus, qui cum  
hero lucraretur juncta industria; quod magis va-  
let, si filius sit emancipatus, aut illegitimus, uti  
notat *Sanch.* in *Conf.* lib. 1. c. 2. d. 8., qui non sub-  
sunt potestati patriæ; item si filius serviat matri,  
quia filius non est in matris potestate. Oppositam  
sententiam tenent *Silv. Molin.* *Laym.* aliique plu-  
rimi, quos citat & sequitur *Moya*, suntque ratio-  
nes graves, nam 1. Non est consuetudo, ut talis  
filius salaryum exigat, inquit recte *Laym.* 2. Quid  
magis rationi congruum est, inquit *Lugo*, quam  
ut filius agricolæ juvet patrem in agricultura, filius  
mercatoris in mercatura? præsertim cum sic ad-  
discant illas artes, inquit recte *Mol.*, addens non  
facile fore tam audacem filium, qui ideo petat sala-  
rium. 3. Si salaryum petat, pater justè subtrahit  
victum & vestitum, non enim tenetur hoc dare fi-  
lio potenti ea lucrari, uti ex communi *Laym.* lib. 3.  
t. 4. c. 8. n. 5., ergo salaryum compensatur per su-  
fficiationem. 4. Si filius petivisset salaryum, pater  
potuisset eum repellere, vel accipere ejus loco

Rr

dium,

alium, qui gratiis, aut viliori pretio, aut melius servivisset, ergo cum non contraxerit cum filio, non tenebitur ei dare salaryum. Quod Conf., quia quando praesens est ille, cuius negotium geritur, gestor negotii non potest petere salaryum, de quo mentionem non fecit, inquit recte Molina t. 2. d. 234., quia non petens censetur remittere. 5. Jura apud Sanch. dicunt filium debere patri operas industriaes: similia Jura apud Sanch. dub. 9. & apud Laym. n. 12. absolutè statuunt hoc acquiri patri, quod filius lucratur ex bonis Paternis, estque hoc in communi utile filiis, maximè ut vitentur lites, quisque enim posset dicere se hoc, alter se illud præstisse etiam pretio æstimabile, ergo jura recte statuerunt, ut omnia lucra essent Patris, postea inter filios æqualiter dividenda. Hæc secunda sententia est longè probabilior.

**1035** §. II. Quamvis daremus primam sententiam probabiliorem esse, attamen adhuc absolutè tenendum esset, si à patre negaretur salaryum, vel filium puderet petere, non fore licitum filio occultè sibi illud compensare: Ratio est, quia occulta compensationatio non est licita, nisi ubi jus est certum, ut dictum est n. 962., Jus autem filii non est hic certum, ut patet ex dictis, quia secunda sententia est saltem probabilis, ergo.

**1036** §. III. Notat Laym. n. 6. ad id saltem Confessario servire sententiam oppositam, ut si ejusmodi filius bona fide talem compensationem fecerit, mitius cum illo agat, & non statim obliget ad restitutionem exactam ejus, quod respondet tali industriae: sed contrà est, quia quamvis possit talis filius per bonam fidem à peccato fuisse excusatus, tamen non ideo excusatur à restitutione ex re accepta, ob rationem antè datam.

Q. 221.